

Chelysfla aut Organus artem suam in templo producit, omnes concurrunt, & arcedis auribus artem auscultant: interim dum mirantur & confabulantur, rem Divinam inter ultimas curas reponunt.

Attendendum est, ait Cornelius a Lapide de Musica in templo, ne cantus sit levior aut lascivior, qui potius petulantiam, quam devotionem provocet ac potius aures titillet, quam mentem ad Deum attollat. C. Eccli. 32. v. 5.

In Helvetia regione fons, dum silebant omnia, quietus & tranquillius erat: cum autem Musica silulæ aut tibi insonabat, subsultare, & aestuare aqua intumescens subsultare, & aestuare gratiarum fons esse, Ecclesia celestium gratiarum fons esse, ubi Deus reverenti silentio adoratur. Cum autem Musica aut vox insonat in modum crispata insonat, attolluntur capita, orchestra turbatur, attolluntur capita, videtur, garritur, & ea, quæ in verbo Dei percepta sunt, oblivioni traduntur. C. Eccli. 32. v. 5.

Olim in primitiva Ecclesia in convivio, quod Agape, seu convivium dilectionis aut Eucharisticum vocabatur æque adhibebatur musica seu cantus. Sic dicit Col. 3. S. Paulus: *Verbum Christi habet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commententes vosmet ipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Item alibi: *Unusquisque vestrum Psalmum habet &c.* Item Tertullianus: *Post aquam mannalem & lumina, ut quis de Scriptura Sacra, vel proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur, quomodo hyberit &c.* Ut autem ita sit, hæc musica, seu cantus erat ad modestiam, ad exhilarationem sanctam, ad probandam sobrietatem; nunc autem resonant tubæ & tympana cum martiali strepitu, ad plausum potius principum, quam Dei honorem. C. Eccli. 32. v. 5.

## Philosophia.

## 261. Confunditur a veritate Christi.

**H**æreticus Philosophus, Arii affecta, in Concilio Nicæno acutissime oppugnat æqualitatem Filii cum Patre Divino: fere omnibus obmutescens S. Spiritum simplicissimum Episcopus surgit, & nudam veritatem fidei, nimirum Filium esse æqualem & substantialem Patri recitando, Philosophum ita confudit, ut viduum se publice professus sit. B. Sermon. 59. n. 5. seq.

Caveant profani, & scilicet entitotopi, qui in argutis & subtilitatibus suis confidentes, quibus ne unius flocculi generis intellectu capere sciunt, etiam ipsis fidei veritatibus sese opponere, aut in dubium saltum vocare audent, caveant, ne decepti & illuc olim cum pudore & tremore confundantur. Quid prodest Terza magnitudinem, diametrum, & circumferentiam, fertilitatem, aliasque proprietates scrutari, & simul terrena celestibus postponere? Quid prodest aeris gravitatem, effluvia, virtutem elasticam, aliaque phenomenarum, & simul negligere aerem illum, quem Christus Dominus in Apostolos ad suam, aliorumque salutem insufflavit? Quid prodest Ignis operationes, incendia, subterraneos caminos, fumorum evaporationes, effectusque terribiles profunda consideratione pendere, & nihil de igne caritatis habere in corde, æternumque denique incurere incendium? Quid prodest de aquæ, fontium, lacuum ipsiusque Oceani profunditate, origine, falsedine, aliisque qualitatibus disputare, & simul suscepta in aqua Baptismali obligationis oblivisci? Quid prodest, contentiose litigare, an in rerum natura dari possit vacuum, & olim cum anima caritate, & meritis vacua coram Divino Judice comparere? Eheu! nihil prodest nisi ad confusionem, & damnationem æternam! &c.

## 262. Sæpe est nocivus &amp; inanis clamor, in Disputationibus.

S. Paulus monet: *Noli Verbigerare*, id est inutiles quaestiones de nomine evigila, quæ ad veritatem non faciunt. S. Augustinus ait: *Verbis contendere est non curare, quomodo error veritate vincatur, sed ostentare scientiam, doctor aliis videri, victor aut superior evadere velle, quod juvenum est, & elati animi.* S. punct. 121. fol. 376. in fine.

In Disputationibus eoque progredendum, donec veritas emergat, quæ ubi patuerit, est quiescendum. Virulenta victoria est, ubi cum viceris perdas amicum, ait Lipsius. *Honor est homini, qui separat a contentione*, ait Salomon, & tu inhonoratum te putas, nisi centies subsummas, &c. S. punct. 121. fol. 378.

*Quæ de sursum est sapientia primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suavis, bonis consentiens.* S. punct. 121. fol. 378. in fine.

Hæc forsitan de causa Philosophia a multis odio habita fuit. Petilius Romanus li-

libros Philosophicos casu in effossa terra inventos comburi iussit. Romani sub Consule Cajo Phannio Scabone prohibent Scholas Philosophicas, putantque operam melius collocari, si juvenus ad arma & agriculturam erudiat. Sub Domitiano Philosophi tanquam morum corruptores ex urbe relegantur. Antiochus iussit juvenes, qui cum Philosophis deprehensi fuerint colloquia & disceptationes facere, in carcere agi &c. D. 8. 97.

Habet inutiles, sapientie indignas quaestiones: Sic Philosophus ad Abbatem Pachomium quaesivit, 1. Quis est ille qui natus non est, & tamen mortuus? resp. Theodoros Monachus: Adam. Quaesivit 2. quis est natus & non mortuus? Respon. Henoch. Quaesivit 3. Qui mortuus & non putrefactus? Resp. Uxor Loth. Verum define hæc curiosa scrutari, & potius indaga legem Christi de qua iudicaberis. Cum S. Barnabas Romæ Christum predicaret, secesserunt studiosi & interrogarunt, cur elephas sit tam magnus, musca tam exigua, ille quatuor pedes, ista cum sex pedibus alia haberet? S. Barnabas pergebat in sacra sua doctrina, & demum reposuit, ante omnia querendum esse regnum Dei. S. Edmundus deditur erat Mathesi, eius Mater apparuit illi in somno & manu ejus apprehensa duxit circum dicens: *Pater.* Duxit alterum, dicens: *Filius.* Duxit tertium dicens: *Spiritus Sanctus.* Qua re docuit illum relicto vano studio sanctis rebus insistere. Regum quidam industria exploravit, quid in corribus suis agerent apes. Abbas Pæmen cuidam arguta subtilitate loquenti edixit: *Hæc nihil profunt, &c.* Sanch. 5. p. c. 3. fol. 440. seq.

263. *Conclusiones syllogisticæ in Scriptura.*

Deus ad Ezechielem: *Fac conclusionem.* Qualem? de peccatoribus ait Carl. Hugo: *Propositio est peccatorum, assumptio transgressionum, conclusio æternorum suppliciorum.* Eodem modo loquitur Bernardus. Deus offendit Ezechielis librum, in quo erant lamentationes, carmen, & hæc tria, ait Cardinalis Hugo sibi videri ut syllogismum, in quo Major loquitur de penitentia: Minor fit ab homine inter delicta: conclusio est de penis: Dominus lamenta proponit, & nos sequimur carmina. B. Sermon. 13. n. 7. Sermon. 2. n. 26.

*Arguet mandum de peccato, de iustitia, & iudicio:* Ubi Card. Hugo: *Et forma-*

*tur sic argumentum Spiritus Sancti: peccatum fecit, iustitiam omisit: ergo iudicium damnationis incurrit.* B. Sermon. 20. n. 11.

Fides est argumentum non apparentium: Ubi Peraldis: Fides primo proponitur: Secundo vitæ restitudo assumitur, ex quibus vita æterna concluditur. B. Sermon. 40. n. 8. Sermon. 51. n. 8.

Ultima conclusio, quæ omnes homines expectat, est felix, vel infelix mors. Quæris, quæ tua futura sit: inture præmissas, id est, vitam anteriorem? si præcedat continuum virtutis exercitium, viva fides, firma spes, ardens Dei & proximi amor, penitentia de peccatis, & iugis mortificatione suarum passionum, conclusio est in forma: Ergo hic homo salvandus erit! Si vero præcedat scelera gravitate & numero maxima, voluptates terrenæ, & oblitio rerum celestium, infelix conclusio est ista: Ergo hic homo damnabitur æternam peribit! &c.

Secur Mundus habet suos paralogismos pro divitiis, pro voluptatibus, pro honore terreno: ita sapientia syllogizat contra mundum, contra divitiis, contra voluptates &c. C. Ep. S. Jac. 2. v. 4.

## 264. Quot erroris vendiderit in profanis Philosophis.

Plato docuit, Deum esse corporeum: Deum esse animam mundi, quæ magno ejus se corpore miscet. Deos quosdam esse juniores, & minores: animas corpori præteritæ, & in corpore quasi in carcere prioris vitæ scelera luere: In Republica uxores debere esse communes: hominum, animalium, secularium, terraque omnium fore revolutionem, ita ut post decem annorum millia iidem hic omnes studentes, docentes, audientes fedeamus, &c.

Pythagoras docuit a corpore in corpus jam hominis, iam pecudis transmigrationem: unde de seipso mentus est:

*Ipse ego me memini Trojani tempore belli Panthoides, Euphorbus eram, cui peccatore quondam.*

*Hæst in adverso gravis bassa minoris Atride.*

Antiqui Philosophi fuerunt impurissimi, & insuper docuerunt, libidinem, etiam spurcissimum, esse necessariam, & inevitabilem; talis fuisse perhibetur Socrates, Plato, Perissus, Theodoros, Aristippus, Demetrius, Diogenes, Zeno, Epicurus, & alii &c. C. Rom. c. 1. v. 25.

Aristoteles primum Motorem orienti affi-

affigit: asserit eum moveri fato, & naturali necessitate: mundum hunc esse ab aeterno: futurorum contingendam non esse determinatam veritatem, Deum ea determinate non scire, animæ vero immortalitatem, Deique Providentiam ita obscurat, ut intelligi, & explicari non possit, dictus propterea ab aliquibus carnifex ingentium &c. Corn. Gen. Encom. in S. Script. n. 15.

Strato Lampfacensis docuit, Mundum ingenium fuisse, & suapte vi ab aeterno existisse. Stoici cum Platone docuerunt, mundum conditum esse ex materia aeterna, ingenta, Deoque coæva. Peripatetici, Deum non libere, sed ex necessitate naturæ mundum ab aeterno curasse. Epicurus, mundum fortuito atomorum conjunctione fuisse productum. C. Gen. c. 2. v. 1.

Epicurus putavit humanam animam esse avulsam Divinitatis particulam. C. Gen. 2. v. 7. fol. 65.

Platonici commenti sunt, certa syderum revolutione peracta omnes omnino causas, & effectus redituros, puta eosdem homines, urbes, scholas, cupis revolutionis spatium vocabant annum magnum, eumque concludebant triginta sex annorum millibus, quo nempe spatio crediderunt peragi cursum nona sphaeræ ab occasu in ortum. O. Script. 2. Disq. 3. c. 13. §. 4.

## Theologia.

265. *Unice se fundet in Scriptura Sacra.*

**R**eginaldus Polus Cardinalis quondam differuit, scientiam Sacram Scripturarum unicum esse, in quam homines litteratos, præsertim Theologos incumbere oporteat. Excepit alius, quod aliis scientiis, tanquam ancillis uti possimus & debeat. Reposuit Cardinalis: *An necesse sit agere propterea, quod ancilla esset, domo ejectionem fuisse?* A. 1. l. 2. r. n. 23.

Theologia scientia est, quæ suas conclusiones ex principiis fide certis deducit, id est scientiarum omnium nobilissima, simul ac certissima est, principia vero fidei fidemque ipsam Scriptura complectitur. Unde sequitur quod Scriptura Sacra Theologiae principia subministrat, quibus Theologus suas demonstrationes mentis rationis, seu Mater festus novos generat, atque perficit. Unde qui Theologiam a Scriptura Sacra divelli posse putat, prolem sine matre, domum sine fundamento, aquaductus sine featurigine, segetem sine semine, conclusionem sine

premissis frustra sperat & expectat. C. Encom. S. Scripturæ n. 5.

S. Dionysius de Deo & rebus Divinis disputans Sacræ Scripturæ ut principio semper inhæret. Inter alia dicit: nulla ratione præsumendum est, aliquid de secretissima Deitate dicere, aut cogitare, præter illa, quæ nobis sacra eloquia tradiderunt. C. lb. n. 6.

Theologia est habitus supernaturalis versans circa Deum & Divina, præ aliis scientiis id speciale habet: 1. Quod fit certior cæteris; quia aliæ scientiæ certitudinem suam habent ex lumine naturali rationis humane, quæ decipi potest: Theologia vero ex lumine scientiæ Divinæ, qui falli & fallere nescit. 2. Quod fit dignior aliis scientiis, eo quod dignitate objecti, & certitudine assensus, & ratione finis, ad quem ordinatur, scilicet æternæ beatitudinis excellentia longe superet scientiæ naturales. 3. Quod fit utilior aliis scientiis, uti ex ipsa experientia colligitur, quia ad salutem animarum, ad Ecclesiæ incrementum, & ad extirpationem hæresium conducit: certe satis compertum est, quantum detrimentum Ecclesiæ ex neglecto Theologiæ studio passa sit Religio Catholica, & quantum ex eo restituit hæresibus repugulam, frænumque injectum sit. Jam vero hæc prerogativas Theologiæ, certitudinis, dignitatis, & utilitatis, habere non potest, nisi ex fundamento Scripturæ, seu Verbi Divini, ut consideranti patebit &c.

266. *Causa fit in sententiis probabilibus.*

S. Apostolus Paulus hortatur Christianos: *Sic ambulatis, ut abundetis magis.* Vult dicere: oportet Christianum non id solum stricte operari, quod Deus præcipit, sed superabundanter supra legem operari, & quasi augmentum adhibere, eum in modum, quod ager non tantum reddat sementem acceptam, sed multiplicat. Oportet, ait S. Chrysostomus, non in acceptis tantum præceptis consistere, sed etiam transcendere. Liberalem oportet esse erga Deum, & legem non ad litteram, sed ad abundantiam observare.

Audi quid Psalmista ait: *Quoniam non cognovi litteraturam, introbo in potentias Domini.* Nempe multis litteratura cedit in laqueum, quibus carentia litteraturæ cessisset in salutem. Eo ipso, quod scientia insistentur, quasi negotiantur cum Deo, legem illius pro libitu torquent, actiones suas excusant; hinc Pagninus legit: *Quoniam*

niam non cognovi negotiationem, salvus ero. O quantum periculum in his & similibus argumentis: Hoc non comprehenditur sub lege! hoc non excedit rationem peccati venialis! est probabilis, est credibilis sententia! &c. qui tam avare cum Deo procedunt, merentur, ut & Deus in suis gratiis eadem mensura illis remetiatur. B. Sermon. 48. n. 19.

Ex intersectoribus Christi nullus erat, qui non scelere excusationem obtendere nosset. Judas ait: Ego quidem vendidi, sed venditionem revocavi! Synagoga ait: Ego accusavi, sed non condemnavi: *Nobis non licet occidere quemquam.* Pilatus ait: Ego omnem lapidem movi, ut eum in libertatem restituerem! Ecce! Christus occidit, & nemo vult esse occisus! Ita hodie dum fit apud multos temerarios! confidunt in suis discrimibus, actionibus suis, sæpe pessimis, varios probabilium colores illinunt, justitiam ladunt, Deum offendunt, & tamen se putant esse excusatos! B. Sermon. 50. n. 34.

Dicis forsitan, te hujus vel illius libri auctoritate niti? At Deus te non judicabit secundum illum librum, sed judicabit orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua, non in tuis rationibus, ait Labbata. Erat tunc sententia probabilis de pluralitate Beneficiorum, quando tempore Dionysii Carthusiani ille Cancellarius Parisiensis mortuus & damnatus est. Apparuit post mortem Episcopo totus igneus, interrogatusque de causa suæ damnationis reposuit: Perii, quia meæ opinionioni, contra monita, & consilia aliorum inhæsi. B. Sermon. 57. n. 24.

Adam comedit pomum, quia sententiam probabilem sibi formavit, non esse peccatum, nisi forsitan veniale. M. conc. 28. §. 1. n. 7. C. Gen. c. 3. n. 6.

Sicut ludus canum cum felibus, & felium cum muribus tandem in occisionem definit: ita a re levi ad gravem, a probabili ad improbabilem facile transitur. conc. 28. §. 1. n. 9.

S. Bonav. ait: *Arbor scientiæ multos privat arbore vite;* Melior est ergo sancta simplicitas, quam alta scientia! In quo consistit hæc simplicitas? in cæca observatione mandatorum! Quidam simplicissimus Frater, uti habetur in Revelationibus S. Birgittæ per triennium infirmus nil aliud dicere auditus est, quam *Desidero! Desidero! Desidero!* Quæsitus quid desideraret, reposuit, *Deum!* post mortem illius dixit Dominus ad Birgittam: Quia Magistri nolunt ad me venire, ideo vol-

D. Claus. Specul. univers. Pars II.

ligo pauperes in regnum calorum! &c. March. Hort. Past. de Car. tr. 2. l. 2. prop. 1.

267. *Quid sentire debeat de sententiis benignis.*

Medio tutissimus ibis! In Directione propriæ conscientie, omnino consultum est, suadendumque omnibus Christianis, ut non tantum probabiliora, sed & securiora eligant, præsertim in casu, quo actu, seu sub ipsa operatione agnoscunt, contrariam sententiam esse probabilem; quia tunc videtur fieri non posse, ut omnem formidinem in contrarium e conscientia satis excludant. Quodsi in Directione alienæ conscientie id fieri non possit, v. g. si confitens suæ opinioni ex prudente ac solido fundamento inhæret, relinquendus est in bona fide, nec potest sine injuria privari Absolutione; quia Benignitas, seu sententia in materia moralis minus quidem, sed vere ac Theologicè probabilis non rejicienda, sed tunc etiam in praxi amplexanda est. Leduor hic cum reverentia & respectu aliter sentientium, unice ad Dei gloriam, & animarum salutem, præsertim in arcano confessionis tribunali.

Supponitur autem 1. Quod pure questio sit de honestate, & licentia actionis, & non subit periculum, aut præjudicium proximi in vita, fama, & fortunâ; hinc Romana sedes hæc in materia decidit, Judici, Medico, & Ministro Sacramentorum non licere amplecti minus probabilem, propter præjudicium tertii. 2. Supponitur, quod non consistat, sed vere dubium sit de existentia legis contrariæ. 3. Quod operans agat cum timore Domini, & bona fide, paratque sit omittere hanc actionem, si sciret dari legem prohibiviam, Divinam, naturalem, aut humanam.

Sententia hæc videtur esse venerabilis, & tuto amplectenda. 1. Quia a tribus omnino sæculis & amplius, a Doctoribus virtutis, & scientiæ excellentissimis, in omnibus fere Academicis, & Scholis publicis, imo in ipsa urbe Romana, non reclamante Pontifice tradita est, tanto in numero, ut numerum contra sententiam decepto certe superent. Quis credat tot Doctores virtutis, & scientiæ insignes improvide egisse, præsertim cum omnes fere Sacri Ordines minorum hæc sententiam tenerint, & perique hodie dum tenent?

2. Romanus Pontifex duplicem hæc in re decisionem dedit: Non dari obli-

gationem temperelictioris, tutiorem, nec licere operari secundum opinionem tenuiter probabilem: Ergo sententiam vere probabilem, eam mediam inter utramque non reprobavit; quia expressio unius, virtualis exclusio alterius.

3. Sententia vere probabilis consolidari, & firmari potest per dictamen relictum, certum, & excludens omnem formidinem periculi in contrarium, quod sic sonat: Quando prudenter ago, id est, ex rationibus tam ponderosis, quæ possunt Virum prudentem, & conscientiosum commovere ad rationabilem assensum, tunc non pecco: Atqui hic & nunc in his circumstantiis ago prudenter, id est, ex rationibus tam ponderosis, quæ possunt virum prudentem ac conscientiosum commovere ad rationabilem assensum: Ergo non pecco. Major certissima est; quia omne peccatum est actus imprudens, consequenter quando prudenter ago, non pecco. Minorem igitur negant adversarii, sed negari non potest, nec indiget probatione: quia mihi est experimentaliter certa coram Deo, & conscientia, & insuper facta, quod bona fide, & sine dolo agam.

4. Si daretur obligatio amplectendi probabilem, daretur etiam obligatio inquirendi in probabilem: sed hæc obligatio est impossibilis, tam litterato, quam rudi; Litterato quidem, quia omnes Doctorum sententias, eorumque rationes deberet memoria tenere. Rudi vero, quia ne quidem scit, quid sit magis aut minus probabile! Et quis est, vel ubi est curator animarum, qui hæc operam dedit instruendi rudem populum in hac obligatione? Hinc promoveretur argumentum: si daretur obligatio eligendi probabilem, tunc operans v. g. civis celebrans contractum, deberet certo scire, suam actionem esse probabilem; alias operaretur in dubio, adeoque peccaminose. Sed hoc certe scire non potest; quia id iudicandi nullum certum haberet fundamentum. Quodsi consulere posset Confessarium Probabilitatem, diceret istæ actionem, seu contractum esse licitum: si consuleret Anti-probabilitatem, diceret esse illicitum, & sic redigeretur ad scrupulos & animi perplexitatem! quanta absurditas!

Dices 1. Electio minus probabilis non est actus prudens in concursu probabilioris? Resp. Nego: nam probabilior non enervat minus probabilem; hæc enim virtutem suam motivam in concursu etiam probabilioris retinet: Luna etiam in comparatione minor sit sole, tamen di-

citur *Lunam Magnam*: Ergo etiam si sententia A sit minus probabilis in comparatione probabilioris B, tamen retinet virtutem magnam commovendi virum prudentem ad assentiendum. Et quæso, ubi? ubi datur obligatio sic comparandi utramque opinionem, & indagandi in probabiliorum? Quis dabit nobis discerniculum dogmaticæ certam, quam ex duabus opinionibus sit magis aut minus probabilis? S. Bonaventura docet, hominem Christianum post lapsum in peccatum mortale statim obligari ad eliciendam contritionem, S. Thomas hanc obligationem negat: quia tritina jam librabimus, quisnam ex duobus his Sanctis fuerit sanctior, quisnam doctior? Sed in labilis! saltem inter rationes pro & contra facile discerni potest, quamvis sit gravior, quamvis levior! Resp. iterum Nego! forsitan ratio pro, quam Petrus iudicat probabiliorum, Paulo videtur minus probabilis! forsitan, quod apparet probabilius, est omnino falsum; quia falsa, juxta Philosophum, sepe sunt probabiliora veris! forsitan, quod hodie mihi probabilius est, cras erit minus probabile; quia multæ sententiæ probabiliores factæ sunt minus probabiles, & vicissim: Sic tempore S. Bonaventuræ fuit Sententia probabilior, quod bonum inventum non comparet Domino debeat distribui in pauperes, hodie est improbabilis: consequenter daretur absurdissima variatio in operando: hodie possem inire hunc contractum, cras non possem: hodie possem absolvere penitentem, cras non possem, & penitens apud Probabilitatem absolveretur, apud Probabilitatem non absolveretur, quod prorsus est ineptum. Urgebis ulterius: Est imperceptibile, quomodo conscientia operantis per opinionem minus probabilem tranquillari, & extra formidinem poni possit! Respondeo cum distinctione: hoc est imperceptibile, si sermo sit de dictamine directo, quod est mere probabile, concedo! si sermo sit dictamine reflexo, quod est omnino certum prout supra probatum est, Nego! Ipsa etiam major probabilitas de se non excludit formidinem in oppositum, sed indiget dictamine reflexo & ultimo, quod debet esse certum: ergo eandem habet difficultatem, quam sententia mere probabilis.

Dices 2. Optandum esset, ut omnes Christiani semper seciora eligerent! Resp. veritimum id est quoad propriam conscientiam, sed quoad directionem a-

lia-

liarum conscientiarum, ad corrigendos scrupulos, & tranquillandos animos id fieri non potest. Ponamus, quod penitens a Confessario consilium petat, aut se accuset, quod in actionibus sui status & officii probabilia elegerit, relictis probabilioribus, quid agit Confessarius? an illum obligat ad probabiliora, & quidem sub reatu peccati mortalis? Pessime, & indifere agit, præsertim si illum sine absolute dimittat! peccata non emendat, sed potius auget, injuriam facit penitenti, a quo emendationem sperare non potest in re, quam alii æque docti ut licitam approbant, aut saltem dissimulant. Si Dominus Deus Misericors est, cur Minister ejus sit austerus? melius est penitentem cum minus probabili mittere in purgatorium, quam cum probabiliori in infernum! Hæretici averlantur nostram sanctam Religionem, quia putant esse jugum nimis grave & austerum, quanto minus convertentur, cum viderint hoc jugum per novas sententias austeriores quotidie magis ac magis aggravari? Quidquid sit, Ais, Probabilissimus noxius est; quia disponit ad tepiditatem, ad laxissimum! Resp. retorquendo: Anti-probabilissimus noxius est, quia disponit ad perplexitatem, ad Jansenismum! Non est res facilis invenire rationes in foro Theologico vere & sancte solidas ad cohonestandam actionem dubiam, ad quod revera obvia quævis & frivola non sufficiunt. Igitur non probabilissimus, sed abusus probabilissimi noxius est: non autem eliminanda sunt omnia, quæ per abusum fieri possunt nociva; sic enim extirpari deberet vinum, quo multi abutuntur ad ebrietates: extirpari deberent gladii & telopeta, quibus multi abutuntur ad homicidia: extirpari deberet mullebre genus, quo multi abutuntur ad scortationes & adulteria. Probabilissimus bonus & utilis est ex se, per accidens est, quod nocivus fieri possit per abusum.

Utinam in Ecclesia vigeret *Rigor Discipline*, non *Rigor Dæmonie*. Utinam Superiores tam Ecclesiastici, quam secularis officium exacte facerent, ita, ut verbo & exemplo vitia extirpare, scandala publica extinguere, libidinem compescere, propudiosa consortia tollere, delicta ad justitiæ lancem proferre, parentes, heredes, Magistratus, omnesque illos, qui aliis præsent, suæ obligationis admonere studerent, certe Dei gloria, & reformationi morum magis consultum foret: verum quia boni hi Domini in altum eve-

lit, solum ad pingues reditus, ad corporis comoda, ad recreationes, esum, potum, quietem, non ad laborem fe vocatos putant, sicque in munere suo obdormiscunt, venie inimicus homo & in agro Ecclesiæ zizania seclerum & scandalorum seminavit. Faxit Deus, ut isti evigilent, & officio suo coram Deo & mundo satisfaciant, tunc tollentur innumera peccata, quæ modo non curantur, aut de industria palliantur, & obteguntur. *Rigor Dæmonie* ad Reformationem morum parum, aut nihil conducere, imo etiam nocere potest, quia animos reddit anxios, scrupulosos, perplexos, aut omnino ad pusillanimitatem, ad desperationem adducit. Quid? quod subriperunt hic minime videtur, illi ipsi grandes Domini, qui Rigorismum voce & ore profertur, alique præcepta dæd ac persuadere volunt, ut semper perfectiora eligere studeant, ut pericula etiam remota fugiant, ut consilia etiam Evangelica amplectantur, ut nunquam cum sola attritione confiteri præsumant, ut omnem Epikam legis averterent, & denique semper eligant, quod ad Dei gloriam magis conducit, illi ipsi, inquam, qui videri volunt aliorum reformatores, in sua vivendi methodo laxissimi sunt, humanos favores, honores, divitias, luxum, & commoditates facilli, non sine neglectu sui officii quantum, adeoque, quod buccis crepant, opere refutant, & quod in aliis adificare volunt, in seipsis destruant, & evertunt. Eni quam parum profert rigor doctrinæ ad reformatos mores, & quam longe optabilior esset rigor disciplina!

## JUSTITIA.

268. *Quid sit, & quomodo exercenda?*

Est virtus voluntatis tribuens unicuique quod suum est. Succurrit in via Vitæ ad finem. Seu justa Imperatorem: Est constants & perpetua voluntas jus suum cuiusque tribuendi. De carentia hujus virtutis consequenter dicitur: *Justitie lumen non lucit nobis*: quia ut ait Labbata: *Nesciant unicuique rei debitam estimationem tribuere: plaris enim corpus, quam animam faciunt.* B. Serm. 2, n. 26.

S. Augustinus ait: *Justitiam esse amorem Deo tantum servientem*: quod explicat S. Thomas. Sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi, ita etiam in hoc, quod homo servat Deo, includitur quod unicuique reddat, quod debet. A. 1. s. n. 4.

Labb. 2.  
Ferb. D.

2. Aug. 1.  
de mor.  
Eccles. 15.  
5. Tit. 2.  
2. Th. 1.  
2. Th. 2.